

colorem ^{c)} a virili semine quam maxime abhorreat, quod, si sanum est, flauum, viscidum et peculiari odore praeditum esse debet: cui porro et illud accedit, quod epididymides et deferentia vasa absque conspicua saltem ratione per longum tempus semen retinerent, nisi quid haec remora, quam sperma in iisdem patitur, ad praeparationem eiusdem conferret; ex analogia denique mucii secretionis idem nos colligere posse, sumus persuasi, quippe euiectum est, mucum in ea consistentia, qua excretus gaudet, ex sanguine nequaquam separari, sed eam tum demum acquirere, quando aquosa pars ab inhalantibus venis resorpta est ^{d)}. Quae cum ita sint, non dubitandum quidem esse, arbitramur, quin testiculis spermatis officinae nomen conueniat, attamen epididymidum etiam, deferentiumque ductuum, quin et ipsarum vesicularum ratio simul vt habeatur, opus esse videtur, quibus, etiamsi nullam aliam, eam certe concedendam esse in virile semen actionem, putamus, qua nimis tenues et aquosae partes per lymphatica vasa redeant, ipsum semen vero remaneat, et magis magisque crassum redatur ^{e)}.

Ac de spermatis quidem generatione satis expositum est. Properemus iam ad ipsius seminis regressus disquisitionem, atque primum definiamus modum, quo absolui eundem in viuo corpore statuunt. Lymphatica itaque vasa, de quibus supra differuimus, ex testiculis, epididymidibus, spermaticisque vesiculis virile semen resorberi et ad sanguifera vasa reuehi, vt denuo miscelam cum sanguine ineat, argumentis, iisque sat firmis verisimile reddere student Physiologi. Neque, vt ingenue profiteamur, dissimulandum est, resorptionem aliquam, sicuti in aliis, ita etiam in his corporis humani partibus locum habere; namque admodum copiose iisdem circumpositae inveniuntur lymphaticae venae, quibus vt resorbendi officium adscribamus,

c) *ibid.* §. 823.

d) *Conf. LUDWIGII Institut. Physiolog. Lips. 1752. §. 230.*

e) *Consulendi sunt, si quis plura super spermatis ortu legere cupiat, supra laudati GRAAUIVS et BOERHAAVIUS.*